



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

De Christi accusatione & accusationis modo Theo. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

Precatio pro patientia in aduersis.

Plissime Domine Iesu Christe, da nobis hanc patientiam, vt detrahentium, obloquentium, obiurgantiumq; tam linguas quam iudicia equanimiter sustineamus, & neminem nos iudicantes, de omnibus sincere pieq; sentiamus, qui sis in secula benedictus, Amen.

DE CHRISTI ACCUSATIONE ET ACCUSATIONIS MODO. Theorema XIII.

ARGVMENTVM.

Iudex vniuersorum, stans ante iudicem audiendus atq; discutiendus, contra iudicij formam tractatur.

IESUS UT SIT REVERA IUDEX VIVORVM & MORTUORVM. Concio XIII.

Hic articulus ex præcedenti oritur, cuius argumentum (vt auditis) duas res vè partes habet. Nam paucis multa indicans, dicit primum Christum iudicem vniuersorum, deinde (quod lamentabile est) iudicandum stare ante iudicem, tertio contra formam iudicij tractari. Prima huius argumenti pars, quod Christus sit iudex viuorum ac mortuorum, nemo ignorat aut dubitat. Sapenumero enim hac de re testatur ipse Christus, quomodo visuri sint homines filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna & maiestate: & quomodo aliquos ad dexteram vt oves, alios ad sinistram vt hædos locaturus sit: quomodo deniq; eos qui secum in tentationibus perferarunt, quiq; omnia propter se reliquerunt, sedentes secum faciet in illo iudicio, iudicantes duodecim tribus Israel. Quomodo præterea cum ijs qui opera non habuerunt misericordiæ, disceptabit, quomodo vè eos maledicet, quomodoq; eos qui habent, laudabit & benedicet, & huiusmodi multa: vnde certissimum est, Christum Dominum nostrum iudicem esse viuorum ac mortuorum: quandoquidem in domo stans Caiphæ, in concilio iudicandus, non diffitebatur de se dicere, quod amodò essent visuri filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.

Verùm, secunda pars quod ante iudicem stet accusatus & discutiendus, in proximo est sermone superiori tractatum.

Iesus iudex vniuersorum vti contra formam iudicij tractetur indicandus.

Dvabus prædicti argumenti prioribus partibus relictis, tertiam excutiamus: quæ fuit, Christum iudicem contra iudicij formam tractari. Itaque contempletur iam quælibet anima deuota, quomodo iudex viuorum & mortuorum, iudex inquam omnium iudicium, cui subiecti sunt qui alteri nemini subijciuntur, quem pauere habent qui neminem alium timeant, cui rationem sunt reddituri omnes, qui modo iudicant: quomodo inquam contra iudicij formam tractatur iudicandus, iudex inquam ille, cuius oculis nihil absconditur, cuius sapientiam nil latet, cuius ditioni nihil est